QUID

DE

GLORIA SENSERIT

MARCUS TULLIUS CICERO.

FACULTATI LITTERARUM NANCEINSI

IN PUBLICAM DISCEPTATIONEM PROPONEBAT

CAROLUS CHARAUX

OLIM SCHOLÆ NORMALIS ALUMNUS

PHILOSOPHIÆ PROFESSOR.

LUTETIÆ PARISIORUM

APUD LADRANGE, BIBLIOPOLAM

VIA DICTA SAINT-ANDRÉ-DES-ARTS, 41.

M DCCC LXVI

Barri-Ducis, Typis mandavit Contant-Laguerre societas.

ALMÆ MATRI

HOC QUODCUMQUE OPUSCULI EST

GRATISSIMO AMANTISSIMO QUE ANIMO.

D. D. D.

QUID

DE

GLORIA SENSERIT

MARCUS TULLIUS CICERO

I.

PROŒMIUM.

Qui student historiæ, et res præteritas attentius perlegunt, ii quidem facile fatebuntur multa et maxima quæ in hoc terrarum orbe fiunt, laudum cupidine et gloriæ amore fieri, nec ullam fere aliam fuisse causam quæ magnas civitates, magna imperia ad sum-

mum fastigium erexerit, dein solita vice solo æquaverit. Clarissimi viri, reges, imperatores gloriæ cupidine creverunt, gloriæ cupidine ceciderunt; et postquam genus humanum beneficiis cumulaverant ingentibus, maximis deinde malis affecerunt. Ut de recentioribus et præsentibus taceam, quis Alexandri, Cæsaris, innumerabiliumque aliorum usurpatas et celebratas voces statim referre non possit, quibus tantus et tam insatiabilis gloriæ amor declaratur, ut superbi, ut etiam dementes videantur qui istas, nec semel, ausi sunt pronuntiare? Propria enim est summorum virorum gloriæ cupido: summi autem viri ceteros homines ducunt et regunt: ita fit ut in rebus humanis studium illud magni momenti esse videatur.

Dignum igitur esset viro erudito simul et sapiente, a radicibus, ut ita dicam, limare, et penitus introspicere illam gloriæ cupidinem quæ maxima modo mala, modo bona, humano generi attulerit, ita ut quæ sit ejus natura, unde veniat, quas spes habeat, quos fructus ferat, intra quos terminos contineri

debeat, et ipse discat, et ceteros doceat, multum posteris, multum etiam suæ ætatis hominibus profuturus. Nobis vero satis erit opus aggredi cui quidem ferendo, etsi levius videatur, haud scio an pares nostri futuri sint humeri. Hanc enim uberrimam simul et difficillimam de gloria quæstionem aliis penitus tractandam relinquentes, tantum quid de ejusdem natura, vi, fructibus, M. Tullius Cicero senserit, exponere tentabimus. Operæ enim, si non fallimur, pretium est cognoscere quid de gloria cogitaverit vir inter veteres (quod nemini aut admodum paucis contigit) tum in republica administranda, tum in eloquentia, et philosophia colenda assidue versatus, ita ut dum gloriæ, multorum aliorum instar, insita cupidine flagraret, quale esset id quod optabat, melius quam ex aliis quilibet, discernere potuerit et dijudicare. Me juvat etiam, fatebor, memoriæ viri quem tanti facio, vel exiguum, pro virili parte, honorem persolvere, et crimina modo ab invidis, modo ab imperitis hominibus in illum collata, ultro refellere.

Falsa enim de Marco Tullio sententia paulatim percrebruit, quæ jam legis instar valet, et cui nos non omnino assentimur. Eum scilicet fuisse dicunt qui inanem inanis gloriæ umbram, cœco amore raptus, usque et ultra modum aucuparetur. Eum ita levi et infirma mente fingunt, ut tot præclare facta, tot egregie dicta vanæ cujusdam et mox periture famæ cupiditati attribuant. Multa quidem multis in locis de gloria M. Tullius dixit; atque utinam is liber ad nos usque pervenisset, quem de ea scripserat ætate jam matura! Ille enim tot illustrium reorum patronus sibimet ipsi, propria in causa, non defuisset, omnesque suæ præstantissimæ naturæ insectatores docuisset illam cui inservierit, gloriam et pulchram, et solidam, et bono simul ac romano viro dignam esse.

Multi forsan qui optima nec humano fonte orta doctrina sunt instituti, quorum ipse Deus, ut ita dicam, mentem propria luce illustravit, propria virtute firmavit, veriorem simul et ampliorem suis laboribus, suis

periculis mercedem et petierunt, et sunt assecuti, de qua pauca dicere, in fine operis, forsan tentabimus. Nos vero nunc quæ sunt hominis in mero homine quærimus, contendimusque M. Tullium, quum multi aut etiam fere omnes ætatis ejusdem viri nihil nisi divitias, honores, imperia, avide cuperent, scelere raperent, præmium nobile et justum sibi semper proposuisse, scilicet eam gloriam quæ nulli nocet, multis prodest, posteris præsertim, quorum mentes illustrium virorum exemplis formantur et eriguntur. Ille vero de gloria liber quum nostras in manus, ut modo diximus, non venerit[1], ex aliis M. Tullii libris meliore fortuna conservatis non pauca, sed selecta dicta et præsertim suprema sumemus, per quæ manifestum fiet, ut speramus, tantum virum quæ sit vera gloria optime cognovisse, et ita eam optimo jure obtinuisse.

Non mihi venit in mentem injucundum,

[1] Vid., *Ep. ad Attic.*, l. XV, ep. 27; — *Ibid.*, l. XVI, ep. 6; — *De Officiis*, l. II, c. 9.

infelix, et, ut ita dicam, stultum opus aggredi, librum de gloria amissum, propriis viribus non ita magnis, integrum, qualem fuisse eum opinor, restituere.

Non equidem invideo, miror magis.....

quosdam doctissimos viros, misera cupidine exagitatos, incepta hujus modi non modo non fugisse, sed etiam fuisse molitos, et, invita Minerva, invito communi sensu, ut ipsi opinabantur, ad bonum perduxisse finem. Major debetur clarissimis ingeniis reverentia, quibus, si commune mortalitatis fatum, longa sæculorum serie, operum partem aut omnino eripuerit, ant truncam et informem fecerit, nos perpetuo eorum desiderio urgeri, nos perpetuo dolere decet; amissa reparare modestis et sanis non licet.

Altera via est quam eruditi homines, ingenti suo labore, nulla autem aut parva utilitate, in aliis scriptoribus reparandis sæpe secuti sunt. Quum enim Noster, non semel, sed sexcenties quid de gloria sentiret, expo-

suerit, potuissemus omnia ea dicta diligenter conquirere, diligentius consuere, et, e brevissimis ad longiora certa mensura procedentes, corpus quoddam undique collatis membris conflare, cui forma, caput, vita denique defuisset. At contra dignus est Cicero quem nemo attingat, nisi veneratione quadam imbutus, quem ultima posteritas vivum et integrum miretur. Itaque eum de gloria loquentem propriis non alienis verbis audiemus, ut ipse amico interroganti breviter sed acriter respondisset, si forsan sui instituti, suæ voluntatis, ut sæpe in aliis rebus fecerat, ita nunc rationem reddere voluisset. Quæ tamen oratio parum virtutis, parum etiam sensus haberet, si non ante ostenderimus Nostrum non modo natura et indole paratum, sed etiam philosophia excultum fuisse, ut veram gloriam planius et melius quam ex veteribus quilibet, cognoscere posset. Sic enim sermo ejus fidem majorem, majorem auctoritatem obtinebit, præsertim quum Ciceronem nullos nisi legitimos, nisi cum virtute et officio conjunctos gloriæ fruc-

tus optavisse, monstraverimus. Tum demum quæ ille omiserit indicare, quæ ipsi sentiamus de gloria, sed paucis verbis, tentabimus exponere.

Omnes innato studio ad laudum amorem, ad gloriam trahimur, quam, ut ingenium, fortuna, tempora tulere, in diversis omninò rebus, tum in maximis, tum in minimis ponimus. Alii in arma, in imperia, in dominationes expetendas incredibili impetu feruntur; aliis placida et domi parta fama placet, quam lingua, quam juris scientia, quam ingenuis artibus adipisci possint. Hic

Angusto in limite mundi
Æstuat infelix,

et luget quod sibi subigendæ aut etiam interficiendæ gentes deficiant. Ille parvæ reipublicæ civis, si primum inter paucos locum occupaverit, cupidine expleta, gaudet. Multos vidimus qui divinas et humanas leges pro nihilo habuerint, qui nihil non violaverint, dummodo inanem istam, quam sibi

mente finxerant, gloriæ umbram assequerentur. Perpauci admodum ad æqui et juris normam famæ cupiditatem exigere conati sunt, et illi quidem insito quodam instinctu, potius quam certa ratione, certa doctrina ducti. Ea vero fuit M. Tullio fortuna singularis, ut maxima in civitate natus, et in ea amplissimis muneribus ornatus, quum manu, lingua, consiliis, civibus suis maximis in rebus sæpissime profuisset, nihil unquam avare, nihil libidinose, nihil sceleste fecerit. Et, quum fere omnes ejusdem ætatis viri, dira et fatali libidine, ad quælibet prava et injusta raperentur, quum jam nec homines, nec deos curarent, Noster certam et rectam, quam sibi a principio proposuerat, loquendi et agendi rationem servavit, nedum clarissimorum vivorum exemplis corrumperetur. Hoc etiam, M. Tulli, pace dicam tua : nimiam istam gloriæ cupidinem, quam plurimi in te non immerito, sed acerbius reprehenderunt, ita paulatim recessisse, ut omnino tandem evanuerit. Itaque et de gloria quotidie melius sentiebas, et de ea rectius et

uberius quotidie loquebare, ita ut quum nefarium parricidæ scelus te patrem patriæ civibus tuis et humano generi eripuerit, tu mihi fere de vera et omni numero absoluta, et, ut ita dicam, de christianorum gloria, qualis esset, præsensisse, quid saperet prægustasse videaris.

II.

MARCUS TULLIUS ITA NATUS, ITA EDUCATUS, UT VERAM GLORIAM COGNOSCERE POSSET.

Nemo est qui non pro comperto habeat rem romanam, eo tempore quo M. Tullius natus est, ita turbatam et procellosam fuisse, ut in ea facillime præclarissimi ingenii lumen enitesceret, ut gloriæ amor quo expleretur undique abundantius inveniret. Urbs enim lento sed certo gradu eo processerat, ut multas aut potius omnes gentes si non sibi amicas, at certe legibus suis obnoxias præstaret. Nec incerta et modo ad tempus, sed firma et stabilis erat illa dominatio, ita

ut quæ Romæ agerentur, ea per provincias et apud remotissimas gentes celerrime percrebrescerent, et sic amplissimum diffundendæ gloriæ locum haberent. Præterea non erat adhuc in Urbe unus, certo jure constitutus, cui omnes inservirent, quem omnes, tanquam servi dominum, intuerentur. At contra ea lex civitatis tum maxime vigebat ut, si quis non modo nobilitate, sed fortitudine, ingenio, virtute aliqua præstaret, is propria commoda, proprias facultates in patriæ communis conferret utilitatem, et ita amplissimos honores assequeretur. Creverat quidem, ut solet, cum ipsa civitate, honorum et gloriæ cupiditas, nec jam paucos assentatores clarissimi romani sibi expostulabant; reges ipsos, universas gentes ad suas laudes celebrandas invitare, interdum etiam cogere videbantür. Non studium illud erat, sed prava libido quæ veterem reipublicæ statum evertere, quæ leges ipsas conabatur abolere.

Quid mirum si Noster ex eodem illo Arpino quo nuper C. Marius originem duxerat, ipse ortus, incredibili statim laudum et

famæ amore correptus fuerit? Quid mirum adolescentem, prima ab infantia, poëtarum carminibus, Græcorum historiis tanto ardore studentem, tot suorum civium præclare facta legentem, plura videntem, vel audientem, gloriæ statim amore inflammatum fuisse qua se, sui præstantis ingenii, suarum virium conscius, dignum fore sentiebat. Illud potius miror sincerum et bene a natura informatum animum multis et claris pravorum civium exemplis minime contaminatum, minime depravatum fuisse; nec adolescentem illum satis laudare possum qui, quum Gracchorum, Carbonis, Saturnini memoria adhuc vigeret, Marius vero et Sylla vivi et integri florerent, præsentia et prævalida exempla despexerit, ut veteris reipublicæ sanctissimos, sed tunc neglectos et fere contemptos viros semper in memoria teneret, semper in pectore et in ore haberet. Meminerimus etiam M. Tullium modicam patriam, modicos parentes semper coluisse[1]; nec, ut multi solebant, vana et inania

[1] Vid. de lege agraria 1, — de Legibus II, 3, 4.

finxisse, per quæ genus suum illustre faceret. Quin etiam in eos invehitur qui falsos triumphos, plures consulatus, genera etiam falsa majoribus suis condonant[1], « ut si ego, inquit, me a M. Tullio esse dicerem qui pa- » tricius cum Servio Sulpicio consule, anno » decimo post exactos reges fuit. » Hanc igitur quam fortuna Ciceroni negaverat, generis nobilitatem, singulari virtute statim adolescens, et pene puer[2], parare constituit. Et quum ipsius natura, mores, clarissima tandem exempla eum ad forum et ad judicia vocarent, romanorum oratorum princeps evadere voluit, et fuit. Tanto janc tum famæ amore flagrabat, ut quum amici, medici debilem et incertæ valetudinis adolecentem hor-

[1] Brutus, c. 62.

[2] Quum adhuc, ut Plutarchus scribit, eas artes quibus ætas puerilis ad humanitatem informari solet, disceret, ingenium ejus ita eluxit, tantumque nominis et gloriæ inter pueros habuit, ut eorum parentes, visendi Ciceronis, cognoscendæque celebratæ in discendo celeritatis gratia ad ludum venirent. Pueri quoque, honoris gratia, M. Tullium medium deducebant.

Et medius juvenum non indignantibus ipsis.
Ibat. et interior, si comes unus erat.

(Ovid., *Fast.* V, 67.)

tarentur ut causas agere desisteret, quodvis periculum potius adeundum quam a sperata dicendi gloria discedendum semper respondit[1]. Nullum patiebatur esse diem, ut ipse de Hortensio dicit[2], quin aut in foro diceret, aut meditaretur extra forum; nullam artem, nullam exercitationem omittebat qua præstantissimi ingenii vires confirmare et adaugere posset. Quis ignorat eum philosophiæ, a prima adolescentia, toto animo, totis viribus studuisse, et ab ea opes, auxilium per omnem vitam continuo petiisse, ita ut quidquid in eloquendo quotidie perdiderat, id in philosophorum commercio statim repararet. Quibus, si recte opinamur, ampliores quam putabat, gratias agere Noster optimo jure potuisset. Gravem sane, copiosum, et omni doctrina abundantem discipulum suum philosophi emiserunt; illud vero majoris facio quod rectum, sincerum, et vanæ gloriæ minus cupidum eum præstiterint.

Illud enim notandum, inter tot sectas quæ

[1] Brutus, c. 313. — [2] *Idem*, c. 215.

tum apud Græcos et in ipsa Roma florebant, M. Tullium eam sibi elegisse quæ moderato, libero ingenio maxime accommodabatur. Nec quod Epicuri contemnebat pecudes, ideo Stoicorum angustam et inhumanam doctrinam dilexit; sed ab Academicis, item ab aliis disciplinis, quæ sibi vera aut veri similia videbantur, mutuatus, cætera omnia ex beatissimi ingenii fecundissima ubertate ipse ultro protulit.

Nullius addictus jurare in verba magistri,

inter tot placita, inter tot præcepta philosophorum, quæ sint homine, quæ sint Romano digna conquirit; veræ virtuti ante omnia inservit, et virtutis ipsius omnem laudem in actione constituit. Qui non potuisset Socraticus ille merus, omnia humana introspiciendo, quanti essent æstimare, et quælibet falsa, ficta, simulata discutiendo, in ipsa gloria quid optimum esset, quid non, sensu dijudicare optimo?

Ut enim varios et uberrimos fontes ex

quibus M. Tullius hauserit, ipso duce, tandem investigemus, res altius repetendæ sunt, et nomina magistrorum quos potissimum Noster secutus est, in medium proferenda. Quum princeps Academiæ, Philo Clitomachi quondam discipulus, unaque multi Atheniensium optimates, Mithridatico bello, domo profugissent, Cicero illorum calamitatem suam fortunam esse ratus, occasionem discendi avide arripuit, et quum vix e pueris excessisset, Philoni tamen ita se tradidit ut omnes philosophiæ partes, eo docente, brevi tempore penitus hauserit. Fuit autem Philo, dum vixit, tum propter doctrinam, tum propter humanitatem et morum mansuetudinem, multis Romanis carissimus, quum iidem ceteros græcos philosophos fere omnes despicerent. Romæ etiam et postea Athenis Phœdrum Epicureum, deinde ejusdem sectæ Zenonem auditor, nequaquam discipulus secutus est, Attico hortante et simul audiente, cui nimium placebat istorum facillima et mollissima disciplina. Sed Noster, ut eodem tempore aliquid gravius et severius hauriret.

nec se admodum frangi et enervari sineret, apud Diodotum stoicum sæpissime fuit, deinde apud Antiochum, de quo in de Legibus ita scribit: « vir iste fuit prudens, et in » suo genere perfectus, mihique, ut scis, fa» miliaris. »

Eo igitur præcipiente, philosophiæ studium nunquam intermissum, a primaque adolescentia, ut diximus, cultum, et semper auctum, dum Athenis commoraretur, renovavit. Antiochus vero appellabatur quidem Academicus, sed erat germanissimus Stoicis, et, relicta Cameadis secta, commutatoque instituto, Chrysippi et Zenonis decreta defendebat. Noster vero, quum ea quæ ab Antiocho in philosophia novarentur, non omnino probaret, ejus tamen copia et lepore dicendi adeo delectatus est, ut totos sex menses cum illo fuerit. Deinde eodem magistro Ciceronem hortante ut rempublicam capesseret, et in magnis muneribus obeundis, in hominibus regendis, quid auxilii, quid utilitatis philosophia conferat, tandem experiretur, in patriam redire constituit, philosophorum

consilia deorum oraculis potiora ducens.

Nam quum paulo ante Delphos, ut multi solebant, profectus, Apollinem consuluisset, quanam via ad summam gloriam pervenire posset, oraculum editum fuerat, suam naturam, non multitudinis opinionem ducem vitæ sequeretur; quo quidem responso Nostri ad prosequendam gloriam immodicus forsan ardor aliquamdiu repressus est.

Romam igitur, ut dixi, reversus, primo timide vixit, et ad honores dubitanter accessit, nec ullo in numero habitus, sed græculus atque otiosus appellatus fuit[1] : quæ nomina infimis et sordidis hominibus in ore esse consueverant. Postquam vero innata honorum cupiditate ductus, atque amicorum, propinquorum, philosophorum cohortatione incitatus, se totum patrociniis tradiderat, non jam pedetentim principem locum obtinuit, sed hanc ad veram gloriam viam ingressus est, in qua labi, errare, nutare (quod humanum est) potuit, quam vero ne

[1] Γραικὸς καὶ σχολαστικός.

una quidem die libens et sciens deseruit.

Omnes enim grati poetæ sententiam memoria tenemus, ipsi quidem usu et re comprobavimus, qua dicit :

> .... *Video meliora proboque,*
> *Deteriora sequor,*

nec Marcum Tullium sceleris arguemus, quòd, veram gloriam optime quum novisset, falsam tamen aliquando, juvenili et ignoscendo errore fuerit secutus. Unum etiam, inter multa, exemplum exhibebimus quo patebit adolescentem multis jam in causis notum, maximis honoribus ornatum, candido tamen animo et facili, eam quam sibi de propria fama finxerat opinionem immodicam, libenter deposuisse. Ipsum vero Tullium loquentem audiamus [1] :

« Hac spe discedebam e Sicilia, prætura » peracta, ut mihi populum romanum ultro » omnia delaturum putarem. Et ego, quum

[1] Pro Plancio, c. 65.

» casu diebus iis, itineris faciendi causa, » decedens e provincia Puteolos forte venis- » sem, quum plurimi et lautissimi solent » esse in iis locis, concidi pene, judices, » quum ex me quidam quæsisset, quo die » Roma exissem, et num quid in ea esset » novi. Cui quum respondissem me e pro- » vincia decedere : etiam mehercules, in- » quit, ut opinor, ex Africa. Huic ego jam » stomachans fastidiose : imo ex Sicilia, in- » quam. Tum quidam quasi qui omnia sci- » ret : quid? tu nescis, inquit, hunc Syra- » cusis quæstorem fuisse. Fueram autem » Lyliboei. Quid multa? Destiti stomachari, » et me unum ex iis feci qui ad aquas venis- » sent. Sed ea res haud scio an plus mihi » profuerit quam si mihi tum essent omnes » congratulati ».

Scilicet ea res quæ multos tantum aspe- rasset, nec quidquam docuisset, non unum modo adjumentum M. Tullio attulit, quod egregiam naturam liberalibus studiis mul- tum ante excoluerat, quod eam præcipue omnium virtutum matre et altrice philoso-

phia informaverat, quod, ea juvante, gloriæ speciem sibi proposuerat a principio, quæ nunquam a recto secerneretur, quæ reipublicæ utilis, nemini unquam, nisi malo obesset. Itaque nullos nisi admodum pravos cives Cicero sibi adversarios elegit, Hortensii et aliorum qui contra se dicebant vitam, gloriam adeo non despexit, et contumeliis, ut plerique solent, affecit, ut contra solitus fuerit laudibus extollere. Et, quum de se ipso sæpius quam vellem locutus sit, aut potius nunquam, oblata occasione, valuerit reticere, id tamen simplici animo, leni oratione semper fecit. Monumenta exstant, et quæ de Hortensio nuper defuncto [1], et quæ de multis aliis tanto et tam sincero amini mœrore locutus est, præterea tot actionum procemia in quibus se neque usu satis, et ingenio parum valentem prædicat, in quibus se ad accusandum traduci dolet, quum reis defen-

[1] Quum e Cilicia decedens Rhodum venissem, et eo mihi de Hortensii morte esset allatum, opinione omnium majorem animo cepi dolorem. Nam et amico amisso, cum consuetudine jucunda, tum multorum officiorum conjunctione me privatum videbam..... (Brutus, I, 1.)

dendis et ceterorum opibus, facultatibus, laudibus amplificandis se ab ineunte adolescentia ultro dederit.

Qui Nostro vanam et tumidam mentem, inanis gloriæ amorem vitio vertunt, quod modo aperte, modo dissimulanter de se ipso sine fine dixerit, quod sua in rempublicam merita assidue jactaverit, et, clarissimis sæpe viris adstantibus, propriam gloriam tantis laudibus extulerit, hi quidem nobis non dicam plurimos, sed unum modo in republica administranda versatum oratorem exhibeant, qui de se non sæpius, non magna, non nimia memoraverit, qui benefactorum suorum laudem vel deprimi, vel languescere aliquando passus fuerit. Iidem in memoriam revocent hanc apud Romanos consuetudinem in omni tempore valuisse, ut clarissimi patroni apud judices quorum dignitatem propria dignitate aut æquabant, aut etiam superabant, de sua gratia, de sua auctoritate sine ulla verecundia loquerentur, modo id ad causam aliqua ex parte pertineret, et reo vel clienti videretur profuturum. Qua con-

suetudine M. Tullius, quum eam jam diu stabilitam invenisset, ita ipse usus est, ut de se multa quidem disseruerit, plura tamen de æqualibus suis, plura præsertim et majora de tot insignibus viris qui, præteritis in temporibus, rempublicam aut nascentem confirmaverant, aut fractam refecerant, aut labentem sustinuerant. Qui non jure potuisset ille vir, per quem tot illustrium civium gloria innotuerat, percrebuerat, de se ipso interdum prædicare, et posterorum præoccupando judicia, sibi inter eos locum vindicare quos ingrata oblivione oppressos, ut veræ virtutis exempla, sibi ipsi primum, deinde civibus suis proposuerat!

Malo equidem rectum et sincerum, et sine aliorum invidia gloriæ amatorem qui de se aperto pectore, aperto ore magna et nimia profatur, quam eum tristi ambitione tumentem qui, dum pravam cupidinem impenetrabili animo obtegit, omnia molitur ut quavis ratione eam quam sibi perversa cogitatione finxit, falsam gloriam tandem corripiat.

Itaque M. Tullium, saltem quod ad gloriæ

studium attinet, multis et clarissimis inter Romanos antepono, ipsi Syllæ, ipsi Cæsari. Quem si quidam imperiti de seipso dictitantem in risum verterint, ego hujus gloriam nullius honesti viri lacrymis et dolore quæsitam fuisse oblivisci non possum. Illud etiam fatebor : me juvat illum videre tantum et tam insignem virum, nihil quod mortale sit, respuentem, nullum humanum affectum abjicientem, nec se ad id fastigium extollere tentantem, quo pervenisse qui se putaverunt, id egerunt modo, ut, quum jam nec homines essent, nec dii tamen esse possent, novam quasi naturam superbia, sævitia, stultitia conflatam induerint[1]. De Nostro, si nusquam de alio, dici jure potuit :

Homo sum atque humani nihil a me alienum puto[2].

[1] Fuit enim quidam summo ingenio vir Zeno, cujus inventorum æmuli Stoici nominantur. Hujus sententiæ sunt et præcepta ejus modi : sapientem gratia nunquam moveri, nunquam cujus quam delicto ignoscere, neminem misericordem esse, nisi stultum et levem..... omnia peccata esse paria, omne delictum scelus esse nefarium... sapientem nihil opinari, nullius rei pœnitere, mulla in re falli, sententiam mutare nunquam (Pro Muræna).

[2] Hoc proprium est animi bene constituti, et lætari bonis rebus, et dolere contrariis (Deamicitia, 47).

Ita omnes humanæ naturæ sensus, affectus, gaudia, dolores, vivide sentit, vivide exprimit; ita simplex et apertus omnia cupit quæ nos aliquando taciti, vehementer tamen cupimus. Ego quidem, verbi causa, libentius ignosco M. Tullio, supplicationem, quam triumphi prærogativam putabat, a Marco Catone sollicitis precibus petenti, quam ipsi Catoni paucis et ambiguis verbis malam invidiam male dissimulanti[1]. Cui tamen benigno et leni animo Cicero gratias agit, adeo brevia quædam de suis laudibus dicta magni faciebat; adeo aliis sincerum animum inesse libenter putabat, quem sibi à natura datum, multis litteris, multa exercitatione, assiduo placabilis philosophiæ studio adauxerat[2].

[1] Epist. ad famili. XV, 4, 5, 6.

[2] Nostri autem illi (fatebor me quoque in adolescentia diffisum ingenio meo, quæsisse adjumenta doctrinæ), nostri, inquam, illi, a Platone et Aristotele moderati homines et temperati aiunt apud sapientem valere aliquando gratiam, viri boni esse misereri, distincta genera esse delictorum, et dispares pœnas, esse apud hominem constantem ignoscendi locum : ipsum sapientem sæpe aliquid opinari quod nesciat; irasci nonnunquam, exorari eumdem et placari : quod dixerit, interdum, si ita rectius sit, mutare, de sententia decedere aliquando, omnes virtutes mediocritate quadam esse moderatas. (Pro L. Muræna, 63.)

Hos, de quibus paulo ante dixi, veteris romanæ reipublicæ viros M. Tullius semper respexisse, semper in oculis habuisse, semper sibi imitandos proposuisse videtur, quum veræ gloriæ exempla undique peteret. Et, quum in illis aliquid rude adhuc, et quædam quasi asperæ antiquitatis vestigia remanerent, perfectam tandem gloriam se assecuturum existimavit, si eamdem humaniorem et leniorem exhibuisset virtutem, si parem gravitatem, parem constantiam, parem modestiam, litteris, philosophia, pœtica etiam arte excoluisset. Itaque quum, cujuslibet laudis avidus, poësim leviter, nec sine gloria, attigisset, quum de arte oratoria, ut nemo unquam, disseruisset tam præclara, quum in philosophia docenda, vulganda, adaugenda princeps Romanorum sine controversia fuisset, partem tamen vitæ majorem reipublicæ administrandæ, et causis orandis, ut sibi a principio proposuerat, ad ultimum fere diem, impendit. In quo labore versatus nulli eorum qui ante se vel tractaverant publica, vel in Foro et in judiciis dixerant, nec facundia, nec gloria, se inferiorem præstitit.

Duo enim genera in omni civitate, sed præsertim tunc temporis in civitate romana reperimus eorum qui versari in republica, atque in ea omnia munia explere, omnes magistratus exercere voluerunt, quorum alteri populares, alteri optimates ut sunt, ita nominati sunt. Qui omnibus suis dictis et factis multitudini placere volebant, populares : qui autem ita se gerebant ut sua consilia, sua dicta optimo cuique probarentur, optimates habebantur. Duæ igitur Nostro quasi viæ ad gloriam patebant, quarum una, in tanta improborum multitudine, non modo brevior et facilior, sed etiam tutior videbatur, altera, aspera, ardua, periculorum et insidiarum plena. Fit enim, nescio quo modo, ut plerumque audaces et perditi homines, ipsi sponte sua in rempublicam incitentur, aut nutu impellantur, boni contra tardiores sint ad vindicandum, et, principiis turbarum neglectis, optimis viris monentibus, obsecrantibus, aut non credant, aut non pareant, et ad extremum, ipsa necessitate coacti, vana quædam et inutilia

conentur. Pleni sunt veterum libri, plena est historia rerum talium exemplis, quæ, si unquam alius, Noster legendo cognoverat, memoria retinebat, quum ea in suis epistolis, orationibus referat sæpissime. Et tamen hæc omnia quum multo ante habuisset perspecta, quum nutantem rempublicam, fatigatos vel desperantes bonos, raros et timidos veræ libertatis amatores, undique circum spectans videret, quum sibi ipsi simultates, odia, exilium, ipsam denique violentam necem mente preæsagiret, sciens tamen et volens facilem, certam et quasi obviam gloriam despexit, ut eam amplecteretur, quam nec videnti, nec audienti posteritas aliquando largitur, aliquando vel merenti viro donare dedignatur, aut non recordatur.

Non mihi venit in mentem acerrima quædam et parum æqua M. Tullii dicta reprehendere, quæ in nobiles, quæ in graves viros admodum adolescens jactaverit, dum

Nimium gaudens popularibus auris,

quæ esset vera gloria non satis adhuc ex-

ploraverat. Ciceronem enim eum repræsentamus non viam modo ingredientem, sed qualem multa conantem, multa scire et audire cupientem veterum exempla, egregiorum virorum auctoritas, rerum humanarum usus, divina tandem philosophia formaverant, et ad id fastigium extulerant, quo futuris oratoribus simul et optimis civibus quasi æternum et perfectum sicut divinæ eloquentiæ, ita egregiæ virtutis proponeretur exemplar.

Cui enim præteritorum et recentium temporum historiam memoria repetenti id manifestum fieri non posset M. Tullium præstantissimos in omni civitate, in omni gente viros modo ea christiana, modo ingenuis artibus foret exculta, non tantum præceptis suis effinxisse, et dictis docuisse, sed etiam ad veræ gloriæ amorem præclaro suo exemplo quodammodo rapuisse? Quis nescit recentiores populos fere ea omnia quæ ad constantiam, ad gravitatem, ad rerum et personarum dignitatem, a Romanis petiisse, qui naturam humanam, si non ipsi ultro finxe-

runt et formaverunt, (quod non humanarum virium est) certe tamen adornaverunt multis et magnis virtutibus. Inter vero Romanos præcipuum, et, mea quidem sententia, primum Noster locum obtinet, adeo ut nulla sit gens tam fera, tam immansueta, quæ non vocem, non præcepta ejus aliquando audierit, adeo ut qui se bonorum civium duces, id est, optimates, ubique terrarum profiteantur, qui vitam ipsam et popularem gloriam præ fide, præ officio, præ libertate habeant pro nihilo, ii omnes M. Tullium patronum, magistrum, ducem, unanima quasi voce proclament.

III.

QUID M. TULLIUS DE GLORIA SENSERIT.

Mihi nunc, præmonente Tullio, brevem veræ gloriæ speciem adumbrare cupienti ea cogitatio occurrit, scilicet magnas forsan dissimilitudines inter Nostri dicta et facta sæpius posse animadverti, nec eum in omni re, in omni tempore se exhibuisse talem qualem ipse jubet veræ gloriæ fautorem debere esse. Ego vero non quid egerit, sed quid senserit M. Tullius exponere a principio in mente habui, nec historiam scribere, sed potius quæ ad mores et philosophiam pertineret quæstionem, præstantissimi non modo oratoris, sed etiam philosophi auxilio, doc-

trina, auctoritate fretus, attingere ausus sum.

Cur præterea Ciceroni, tam bene præsertim de suis civibus et de posteritate merito, id non liceret, quod multis nec egregiis viris licuit, quod nostræ imbecilli naturæ semper optimo jure concedetur, scilicet ut dum loqueretur divine, humane tamen agere videretur? Liceat nobis in tali viro, in tali causa, dicta repetere, et ad ipsius defensionem ad hibere quæ de summo et omni numero absoluto oratore tanta prudentia, tanta auctoritate pronuntiaverit, ut ea fere in omnium eruditorum mentibus infigantur, et ab iis dem quotidie repetantur. Nos igitur sic statuimus nihil esse in ullo genere tam pulchrum, quo non pulchrius id sit, unde illud, ut ex ore aliquo, quasi imago exprimatur, quod neque oculis, neque auribus, nec ullo sensu percipi possit, cogitatione tantum et mente complectimur. Quidquid est igitur de quo ratione et via disputatur, id est ad ultimam sui generis formam speciemque redigendum. Itaque M. Tullii,

quoties de gloria diceret, insidebat in mente species ea perfecta gloriæ, quam cernebat animo, reipsa non videbat, quam nullus homo unquam in mero homine vidit, quum substantia ejus et plenitudo tota in Deo maneat[1], nos autem quasdam divinæ auræ particulas raptim et furtim nobismetipsis vindicemus.

Marci Tullii jam exinde modo ipsa verba expromentes, modo sensum exprimentes, quæ sit gloriæ natura, qua ad eam via nos ingredi oporteat, quos tandem fructus ferat, brevi et simplici quasi tabula exponere tentabimus.

» Humanus animus, decerptus ex mente divina, cum alio nullo, nisi cum ipso Deo, si hoc fas est dictu, comparari potest. Hic igitur quum talem originem habeat, magna

[1] Dieu a fait toutes choses pour lui, il ne peut jamais rien devoir qu'à lui seul, et il se doit tout..... Le rapport essentiel de la créature au créateur est la fin essentielle de la création ; ce rapport est ce que nous appelons sa gloire..... Il faut que je rapporte uniquement à lui seul tout ce que je suis, car je dois lui rendre tout ce qu'il m'a donné (FÉNELON, lettre 3e sur la Métaphysique).

quædam et excelsa continuo secum volvit, et meditatur,

Nec placida contenta quiete est.

» Et quum se in sua certa et propria sede non sentiat, aliquid semper optat et molitur, ut latius evagari, et corporis quasi carcerem effringere, tum demum ampliorem suam et altiorem naturam efficere possit.

« Itaque, quum sint homines hac lege generati ut in angusto spatio, ut in brevi tempore, breviorem vitam agant, omni ope et opera assidue conantur ut sibi si non vitam, cujus certi sunt termini, at certe vitæ suæ memoriam immortalem faciant.

» Quæ quidem cupido si in multis aut timidis, aut mollibus, aut levibus ingeniis languescit, sæpe etiam exstinguitur, eadem contra in iis perpetuo crescit et adaugetur qui quid sit Deus, quæ sit natura et vis animarum, quo ipsæ ultro tendere debeant, cognoverunt optime, et secum diu meditati sunt.

» Naturæ igitur nostræ cognitio et contemplatio gloriæ amorem quodammodo parturit, quæ tamen scientia ipsa per se manca, ut ita dicam, et inchoata tantum esset, si nulla actio rerum consequeretur. Ratio enim facit hominem hominum appetentem, cumque his natura et usu congruentem, ut profectus a caritate domesticorum ac suorum serpat longius, et se implicet primo civium, deinde omnium mortalium societate, nec se sibi soli natum sentiat, sed patriæ, sed suis, ut perexigua vitæ suæ pars ipsi relinquatur.

» Ita fit ut gloriæ amor ab intima nostra natura profectus ad societatem generis humani pertineat, et vera virtute quasi necessario fundamento nitatur.

» Inter honores quidem et gloriam summa est diligenter a principio notanda differentia.

» Non sunt enim imperia, magistratus, ut plerique putant, veræ gloriæ et diuturnæ pignus, et, ut ita dicam, certa prærogativa. Quis nostrum se dicere auderet tot et tam illustribus viris parem M. Curio, Fabricio, Marcello, Scipionibus? Tamen eosdem hono-

rum gradus quos illi, multi assecuti sunt. Est in virtute plurimis ascensus, ut is maxime gloria excellat, qui virtute plurimum præstet. Honorum populi finis est consulatus : quem magistratum jam octinginti fere consecuti sunt : horum, si diligenter quæres, vix decimam partem, reperies gloria dignos.

» Honorum enim gradus summis hominibus et infimis sunt pares, gloriæ dispares. Tanta est etiam inter honores et gloriam differentia, ut multi, dum honores perdite amarent, et quavis ratione tentarent occupare, hujus quam speraverant gloriæ ne minimam quidem partem obtinere potuerint.

» Caveant igitur illi qui honores aggrediuntur ne, dum in atrio templi morantur diutius, templum ipsum, ut ita dicam, intrare aut non possint, aut etiam non recordentur. Eorum præcipue doctrinam erroribus et periculis plenam iidem non recipiant qui nihil magis expetendum, nihil præstantius honoribus, imperiis, populari fama et judicaverunt, et exposuerunt. Qui

profecto in summa inanitate versantur, consectanturque nullam eminentem effigiem virtutis, sed adumbratam imaginem gloriæ.

» Est enim gloria solida quædam res et expressa, non adumbrata. Ea est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene judicantium de excellente virtute. Ea virtuti resonat, tanquam imago gloriæ, quæ quia recte factorum comes est, non est a bonis viris repudianda. Illa autem quæ se ejus imitatricem esse vult, temeraria, inconsiderata, et plerumque peccatorum vitiorumque laudatrix, fama popularis, simulatione honestatis, formam ejus pulchritudinemque corrumpit. Qua cæcitate homines quum quædam præclara etiam cuperent, eaque nescirent, nec ubi, nec qualia essent, funditus alii everterunt suas civitates, alii ipsi occiderunt, atque hi quidem optima petentes non tam voluntate quam cursus errore falluntur. Adeo in omni re cupienda, amplectenda, antequam ordiaris, adhibenda est præparatio diligens, et rerum ipsarum certa scientia.

» Qui autem bonam famam bonorum optant

quæ sola vera gloria nominari potest, aliis otium et voluptates quærere debent, non sibi. Sudandumest his pro communibus commodis, adeundæ inimicitiæ, subeundæ sæpe pro republica tempestates : cum multis audacibus, improbis, nonnumquam etiam potentibus dimicandum. Itaque non eos in laude positos videmus qui incitarunt aliquando populi animos ad seditionem, aut qui largitione cæcarunt mentes imperitorum, aut qui fortes et claros viros, et bene de republica meritosin invidiam aliquam vocaverunt. Leves hos semper nostri homines, et malos, et perniciosos cives putaverunt. At vero qui eorum impetus et conatus represserunt, qui auctoritate, qui fide, qui magnitudine animi, consiliis audacium restiterunt, ii principes, ii duces, ii civitatis auctores et defensores habiti sunt, ii veram et immortalem gloriam sibi comparaverunt.

» Ea igitur laudum et famæ cupido, ea animi elatio quæ in laboribus, in periculis expromitur, si justitia vacat, pugnatque non pro salute communi, sed pro suis commodis,

in vitio est. Quocirca nemo qui fortitudinis gloriam consecutus est, insidiis et malitia laudem est adeptus. Nihil enim honestum, nihil egregium esse potest, quod justitia vacet, quum ea præsertim omnium virtutum quasi domina et regina esse videatur.

» Itaque qui adipisci veram gloriam volet, justitiæ fungatur officiis, nihil nisi bonum publicum spectet, omnes suas opes, facultates, maximos et assiduos labores in hominum utilitatem conferat.

» Tum demum summam et perfectam gloriam consequetur, quæ constat ex tribus his: si diligit multitudo, si fidem habet, si admiratione quadam honore dignos putat.

» Vehementer autem amor multitudinis commovetur ipsa fama et opinione liberalitatis, beneficentiæ, fidei, omniumque earum virtutum quæ pertinent ad mansuetudinem morum ac facilitatem.

» Fides autem ut habeatur, duabus rebus effici potest, si existimabimur adepti conjunctam cum justitia prudentiam.

» Admiratione vero afficiuntur ii qui an-

teire virtute putantur, et quum omni carere de decore, tum iis vitiis quibus alii non facile possunt obsistere. Eos enim viros suspiciunt, maximisque efferunt laudibus in quibus existimant se excellentes quasdam et singulares virtutes perspicere, despiciunt autem eos et contemnunt, in quibus nihil virtutis, nihil animi, nihil nervorum putant.

» Altera tamen ad gloriam quasi compendiaria via, si quis id agat ut, qualis haberi velit, talis sit. Quod si qui simulatione et inani ostentatione, et ficto non modo sermone sed etiam vultu, stabilem se gloriam consequi posse rentur, vehementer errant. Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur; ficta omnia celeriter, tanquam flosculi, decidunt, nec simulatum potest quidquam esse diuturnum.

» Minuenda etiam opinio eorum qui arbitrantur res bellicas majores et clariores esse quam urbanas. Multi enim bella sæpe quæsierunt propter gloriæ cupiditatem, atque id in magnis animis ingeniisque plerumque contingit, eoque magis, si sunt ad rem milita-

rem apti, et cupidi bellorum gerendorum. Vere autem si volumus judicare, multæ res exstiterunt urbanæ majores clarioresque quam bellicæ. Parvi sunt arma foris, nisi est consilium domi. Ecquid, verbi causa, Cu Pompeio profuisset ingentes hostium exercitus debellasse, et ter triumphum obtinuisse, si non Marci Tullii beneficio, locum ubi triumpharet, victor rediens invenisset! Illud igitur optimum simul et verissimum :

Cedant armu togæ, concedat laurea laudi.

» Magna est enim, ut dealiis togatorum in rempublicam beneficiis taceamus, magna estadmiratio copiose sapienterque dicentis; quem qui audiunt intelligere etiam et sapere plusquam ceteros arbitrantur. Si vero orationi inest mixta modestia gravitas, nil admirabilius fieri potest, nil gloria dignius.

» Sed non modo illi laudibus et fama digni qui multa et magna, sive togati, sive armati, ut suis civibus inservirent, fecerunt, et vitam in luce, et sub oculis hominum,

sine ulla quiete, sine ulla intermissione, semper agitati egerunt. Multi enim, quorum studia vitaque omnis in rerum cogitatione versata est, tamen ab augendis hominum utilitatibus et commodis non recesserunt, et ita amplissimam gloriam, sine ulla controversia, sunt adepti. Nam erudierunt multos quo meliores viri utilioresque in civitate sua essent, et id non modo sermonibus, orationibus, sed etiam aliquando carminibus suis effecerunt. Neque solum vivi atque præsentes studiosos discendi erudiunt atque docent, sed hoc idem etiam post mortem monumentis litterarum assequuntur. Nullus enim locus prætermissus est ab iis qui ad disciplinam reipublicæ pertineret, ut otium suum ad nostrum negotium, suam solitudinem ad nostram celebritatem contulisse videantur. Ita fit ut non modo qui magna et ingentia fecerunt, sed etiam ii qui alios ut magna et egregia facere possent, præceptis suis erudierunt et institutis, parem, si recte volumus opinari, gloriam et meruerint, et sint assecuti, si quidem gloria

est illustris ac pervagata multorum et magnorum, vel in suos cives, vel in patriam, vel in omne genus humanum fama meritorum. »

Inter quos Noster præcipuum optimo jure locum obtinet, ut qui non modo agendo, dicendo, diversissima sibi ipse vindicaverit gloriæ genera, sed etiam omnibus egregia et generosa mente præditis viris, qua via, qua ratione ad veram et perfectam gloriam deberent tendere, divina sapientia et eloquentia monstraverit.

IV.

CICERO GLORIÆ AMOREM AB OFFICIO ET SPE IMMORTALITATIS NUMQUAM SEPARAVIT.

« O mi Furni ! quam tu causam tuam non nosti, qui alienas tam facile discas !... Scilicet id agitur, utrum hac petitione, an proxima prætor fias, non ita ut de republica mereare, omni ut honore dignissimus judicere?... Ulla tibi est prætura vel officio quod pauci, vel gloria quam omnes sequuntur, dulcior[1]? » Hæc sunt Nostri verba quibus modeste et amice in C. Furnio præproperam præturæ festinationem reprehendit, quibus

[1] Epist. ad famili., X, 26.

suam de gloria, de officio, de honoribus, sententiam ut breviter, ita dilucide exponit. Qui enim, posthabito officio, honores et gloriam avide optat, et cœco prosequitur amore, ille honores forsan et ad tempus, gloriam quidem nec veram nec sempiternam poterit obtinere. Marcus Tullius contra inter eos, (et hi quidem, ut ipse fatetur, pauci fuerunt), numerandus est qui gloriam etsi optarent vehementer, officio tamen semper anteposuerunt, aut potius rati sunt gloriam, quæ tanto nomine foret digna, quæ nunquam interitura esset, nisi virtute colenda, nisi officio exsequendo, unquam posse comparari.

Illud enim ante omnia in M. Tullio animadvertendum et maximis efferendum laudibus, quod nunquam gloriæ amorem separaverit a justi et recti amore, solamque virtutem, sine ulla hominum mercede, propter se ipsam expetendam, semper declaraverit. Hujus enim, ut multa omittamus, ea sunt egregia verba : « Sufficit ad gloriam bene facti conscientia[1]. » Et quum ad Atticum scriberet

[1] Fragment. Hortens.

ex familiaribus maxime familiarem : « mea mihi conscientia pluris est quam omnium sermo[1]; » et quum Milonem reum defenderet : « hæc certe vera sunt, fortes et sapientes viros, non tam præmia sequi solere recte factorum quam ipsa recte facta[2]. » Et quum moralem philosophiam Romanos edoceret : « mihi quidem laudabiliora videntur omnia quæ sine venditatione, et sine populo teste fiunt. Non quo fugiendus sit, (omnia enim bene facta in luce collocari volunt), sed tamen nullum theatrum virtuti majus conscientia est[3]. »

Itaque Noster imperia consulatusque in necessariis non in expetendis rebus ponebat, munerisque fungendi gratia subeundos, non præmiorum aut gloriæ causa putabat appetendos; sibi vigilandum, laborandum, omni scientia ac diligentia enitendum putabat, ut tandem, quod sibi præstantissimum maximeque optabile videbatur, otium et dignitatis

[1] Epist. ad Attic., XII, 28.
[2] Tuscul. Quæst. II, 64.
[3] *Ibidem.*

portum posset occupare. Num ille vere fuit Syllæ, Pompeii, Crassi, Cæsaris tandem et Octavii æquævus, ille, inquam, vir qui, quum alii fere omnes suorum vel bene vel male factorum amplissima et iniquissima peterent præmia, sibi ipsi, pro tot susceptis laboribus, defensionibus, periculis, nihil unquam aliud optaverit, nisi cum dignitate otium!

Attentius etiam consideranti, et Marci Tullii modo facta, modo dicta perscrutanti, hoc pro comperto habebitur Nostrum, intima mente, vitæ immortalis spem certissimam maximo gloriæ amori, firmo quasi vinculo semper conjunxisse, ita ut in illo altera alterum aluisse, confirmasse semper videatur. Omnes enim memoria tenemus ea quæ de immortali animarum vita, tanta prudentia, tanta auctoritate, multis in locis, pronuntiaverit, quum mentem vitæ præsentis an-

[1] O præclarum diem, quum ad illud divinum animorum concilium cœtumque proficiscar, quumque ex hac turba et colluvione discedam (*De Senect.*, 85).

goribus, calamitatibus prostratam ea sola, sed egregia spe aliquando relevaret[1]. Quem licet ipsum audiamus :

« Nemo unquam sine magna spe immortalitatis se pro patria offerret ad mortem. Nescio quo modo inhæret in mentibus quasi sæculorum quoddam augurium futurorum, idque in maximis ingeniis et existit maxime et apparet facillime. Quo quidem dempto, quis esset tam amens qui semper in laboribus et periculis viveret [1]? »

[1] *Tuscul.*, *Quest.*, l. I, 33.

Cf. pro Rabirio, c. 10 :

« Tantis ne in laboribus C. Marius periculis que vixisset, si nihil longius quam vitæ termini postulabant, spe atque animo de se et de gloria sua cogitasset ? At, credo, quum innumerabiles hostium copias in Italia fudisset, atque obsidione rempublicam liberasset, omnia secum una moritura arbitrabatur. Non-est ita, Quirites, neque quisquam nostrum in reipublicæ periculis cum laude ac virtute versatur, quin spe posteritatis fructu que ducatur. Quapropter equidem C. Marii et ceterorum virorum sapientissimorum ac fortissimorum civium mentes, quæ mihi videntur ex hominum vita ad deorum religionem et sanctimoniam demigrasse testor me pro illorum fama, gloria, memoria, non secus ac pro patriis fanis atque delubris propugnandum putare : ac si pro illorum laude mihi arma capienda essent, non minus strenue caperem quam illi pro communi salute ceperunt.

Quis Marcum Tullium M. Catonis sub persona loquentem facile non agnosceret, quum ætate jam provectus quid veri, quid falsi res humanæ haberent et ipse melius perspexerat, et alios certiores præstare cupiebat :

« An censes (ut de me ipso aliquid, more senum, glorier), me tantos labores diurnos nocturnosque domi militiæque suscepturum fuisse, si iisdem finibus gloriam meam quibus vitam essem terminaturus? Nonne melius multo fuit, et otiosam ætatem et quietam sine ullo labore et contentione traducere? Sed, nescio quo modo, animus erigens se posteritatem semper ita prospiciebat, quasi, quum excessiset e vita, tum denique victurus esset? Quod quidem ni ita se haberet, ut animi immortales essent, haud optimi cujusque animus ad immortalitatem gloriæ niteretur. [1] »

Ego quidem ea legens, et multa hujusce modi in memoriam revocans, non possum

[1] *De Senect.*, 82.

virum illum non admirari qui, in tanta morum corruptione, quum novæ et falsæ doctrinæ certatim undique erumperent, quum ipse communis sensus in altissimis depravaretur ingeniis, ea quæ vera et honesta sentiret, tam firma, tam viva voce declaraverit.

Itaque de M. Tullii gloria solam et certissimam humani generis spem defendentis, id est animarum vitam immortalem, nulla apud homines, dummodo sinceri et integri animi sint, controversia unquam fieri poterit; de illo contra etiam nunc ambigitur utrum plus boni an mali fecerit hominibus, utrum plus veræ an falsæ obtinuerit gloriæ qui in amplissimo et sanctissimo orbis terrarum concilio detestanda ista pronuntiare non dubitaverit : *post mortem nihil, mors ipsa nihil.*

Caius igitur Cæsar inter eos sine ulla dubitatione annumerandus quos Deus, ut ordinem sæculi præsentis ornaret, certo rerum et temporum ordine in lucem protulit. Hi sane receperunt mercedem suam vani vanam, qui quum gloriam sine justitia, sine virtute quæsiissent, gloriam votis suis parem inve-

nerunt; nam qui nihil optaverant nisi mortale, nihil nisi mortale et incertum obtinuerunt.

De Marco Tullio longe aliter ego quidem judicaverim. Licet enim, ut sæpe confessi sumus, laudes et famam, plusquam necesse et legitimum erat, amaverit, eam tamen gloriæ formam sibi semper proposuit quæ non signis, non monumentis, non lacrymis et sanguine, non ingenti dominatione, sed grata hominum constat memoria, quæ multis in patriam beneficiis, multa industria, magno et utili labore comparatur, eam tandem quam certissimam et nulla interituram vetustate obtinent non qui alios, sed qui se devicerint, qui omnia post rectum posuerint et officium. Talia optanti, in talia elaboranti, mors vel immatura, vel crudelissima æquissimo animo oppetitur, quum suis se laudibus vita occidens consolari potest. Nemo parum diu vixit qui virtutis perfectæ perfuncto functus est munere. Eum etiam invitum non quædam umbra gloriæ , sed ipsa vera consequetur gloria.

Quod si quis de M. Tullii firma et stabili, in eo quod ad justam et veram gloriam attinet, sententia etiam nunc dubitaverit, unum adhuc exemplum in medium afferre liceat, quo patebit illum non modo fere senem, sed etiam ætate vigentem, eadem sensisse quæ nuper ex ore ipsius audivimus. Scribit ad Catonem quem virtute, integritate, præstantissimum inter illius temporis Romanos nemo est qui non judicet :

« Agam jam tecum familiariter, ut est et studiis nostris mutuis, et summa amicitia dignum, et necessitudine etiam paterna. Si quisquam fuit unquam remotus et natura, et magis etiam, ut quidem mihi sentire videor, ratione, ab inani laude, ego profecto is sum. Testis est consulatus meus, in quo, sicut in reliqua vita, fateor ea me studiose secutum, ex quibus vera gloria nasci posset, ipsam per se nunquam putavi expetendam. Itaque et provinciam ornatam, et spem non dubiam triumphi neglexi[1]..... »

[1] Epist. ad famil., l. XV, 4.

Majora tamen his et clariora, et ab omnibus qui honores et gloriam exoptant assidue legenda, meditanda M. Tullius edidit, quum multa rerum et hominum experientia eruditus, suas spes certissimas non jam in hominibus, sed in ipso Deo, si ita loqui possumus, sitas et fixas haberet.

Nos enim inter eos qui gloriam ut amplissimum suis laboribus præmium judicaverunt, et tentaverunt consequi, magna sane discrimina non possumus non statuere. Qui enim ab imperita multitudine differt ille inani superbia inflatus, qui naturalem, ut ita dicam, impetum vel etiam appetitum sequitur, et nova semper molitur, ut cupidinem quotidie renascentem, quotidie inexpletam, non dominus, sed servus, impleat? Scilicet iste innumeras et fortissimas gentes subegit, genus humanum totum sibi obnoxium præstitit; in summa gloria vixit, in summa gloria obiit. Et tamen quum eum viventem et coronatum circumfusa multitudo vere beatum, vere conclamaret immortalem, ipse nec se satis laudatum, nec se vere bea-

tum sentiebat, nec etiam quid sibi deesset, cur in tanta laudum et honorum abundantia nescio quid vacui et inexpleti alta remaneret in mente, satis intelligere poterat. Paucis igitur et omnino paucis ante Christum natis hominibus id contigit ut usque ad extremum finem gloriæ, id est ad contemptum gloriæ procederent[1], ut supra mortalia elati, non clara adhuc sed aliqua tamen luce, res humanas quid in se habeant caduci et incerti, viderent, veram gloriam in vera virtute, id est in Deo sitam augurarentur[2].

Inter quos Noster non humana scientia

[1] Cf. Tuscul., *Quæst.*, l. I, 34 :

Quid nostri philosophi? nonne in his ipsis libris quos scribunt de contemnenda gloria, nomina sua inscribunt?

Tuscul., *Quæst.*, l. II, 11 :

Quotusquisque philosophorum invenitur, qui sit ita moratus, ita animo ac vita constitutus, ut ratio postulat? qui disciplinam suam, non ostentationem scientiæ, sed legem vitæ putet? qui obtemperet ipse sibi, et decretis suis pareat? Videre licet alios tanta levitate et jactatione, ut iis fuerit non didicisse melius : alios pecuniæ cupidos, gloriæ nonnullos.

[2] Contemnamus igitur ineptias, totamque vim bene vivendi in animi robore ac magnitudine, et in omnium rerum humanarum contemptione ac despicentia, et in omni virtute ponamus. (Tuscul., *Quæst.*, l. I, 35.)

fretus (libenter ego quidem crediderim), tale et tam eximium suæ bene actæ vitæ præmium habuit, quum egregia ea verba conscriberet de quibus nulla ætas conticescet, quæ, multas et maximas victorias superant, quum seipsum et suam mortalem infirmamque naturam debuerit vincere qui hæc divino fonte hausta fere divino ore protulerit :

« Hæc cœlestia semper spectato : illa humana contemnito. Tu enim quam celebritatem sermonis hominum, aut quam expetendam gloriam consequi potes? Vides habitari in terra raris et angustis locis : et in ipsis quasi maculis, ubi habitatur, vastas solitudines interjectas : eosque qui incolunt terram, non modo interruptos ita esse, ut nihil inter ipsos ab aliis ad alios manare possit, sed partim obliquos, partim transversos, partim etiam adversos stare vobis : a quibus exspectare gloriam certe nullam potes [1]. »

Et paulo infra :

« Quanti tandem est ista hominum gloria,

[1] Ex somnio Scipionis excerpta.

quæ pertinere vix ad unius anni exiguam partem potest? — Igitur alte si spectare voles, atque hanc sedem et æternam domum contueri, neque te sermonibus vulgi dederis, nec in præmiis humanis spem posueris rerum tuarum; suis te oportet illecebris ipsa virtus trahat ad verum decus : quid de te alii loquentur, ipsi videant : sed loquentur tamen. Sermo autem omnis ille et angustiis cingitur iis regionum, quas vides, nec unquam de ullo perennis fuit, et obruitur hominum interitu, et oblivione posteritatis exstinguitur. »

His quidem verbis vera et novissima M. Tullii de gloria sententia ita aperte, ita vivide exprimitur, ut nullo alio interprete egeant. Quem vero, si res ita feret, et graviorem, et ampliorem interpretem invenire possemus quam illum præstantissimum christianæ fidei, simul et veræ philosophiæ defensorem, in quo hæc læta mente nuper legimus :

« Ciceronis operibus ut studeatis hortor, cujus doctrina quiddam continet tristissi-

mum, eademque gratissimum aliquid. Has admirabiles perlegite Tusculanas quæstiones,.... aut, inter ea quæ de Republica supersunt, illud Scipionis somnium, opus pulcherrimum, in quo res tractantur tam magnificæ, tamque supra terram elatæ, ut videatur illis quasi vis christiana infundi[1]. »

[1] « Étudiez Cicéron; sa philosophie est pleine à la fois de tristesse et de charmes; lisez ses admirables Tusculanes,... ou, dans les fragments de sa République, le beau songe de Scipion, pages si élevées et si détachées de la terre, qu'on dirait qu'un souffle déjà chrétien les pénètre. »

(Mgr Dupanloup : *Les études d'un homme du monde* : la Philosophie.)

V.

QUID RECENTIORES DE GLORIA SENTIRE POSSINT.

Factum est, nescio quo modo, ut, de gloria quum loquerer, mens paulatim se erexerit, et ipse sermo amplum et elatum quiddam, justum supra modum habuerit. Difficile enim, in tali re, et quum præsertim talem ducem sequaris, ab eo verba non mutuari, quamvis illius vim, copiam, eloquentiam, haud facile assequaris. Nos igitur culpæ, cujus aliqua pars ad Ciceronem redundat, veniam simplici corde petimus, cum bona spe exspectamus.

Restat nunc forsan ut M. Tullii vitam cum institutis, facta cum dictis ita inte se osten-

damus convenisse, ut eum tandem ea gloria dignum fuisse omnes homines fateantur quam optime cognoverat, quamque optima via fuerat secutus. Id vero nihil aliud esset quam historiam scribere multis jamdiu notam, et quam vir sapiens æque ac eruditus ampliorem nuper effecit et illustriorem[1]. Cujus non mihi venit in mentem opiniones et judicia confutare, quum ea doctissimi approbaverint viri, quum præsertim M. Tullii famæ non modo non noceant, sed eam sæpissime adjuvent.

Primas igitur Romæ, id temporis, partes C. Cæsari, secundas Cn. Pompeio libenter concedamus; hujus præstantissimum ingenium, alterius mores et diuturnam felicitatem meritis prosequamur laudibus. M. Catonis etiam virtutem M. Tullii virtute firmiorem et altiorem fuisse fateamur, dummodo vir probus et justus Noster, quum id difficillimum esset, semper fuerit, dummodo eam, ut ipse loquitur, modicæ et humanæ virtutis

[1] GASTON BOISSIER. Cicéron et ses contemporains. *Revue des Deux-Mondes*, années 1863, 64, 65.

formam expresserit vita sua, quam multi, dum majorem et clariorem expeterent, omnino amiserunt. Ciceroni satis sit gloriam meruisse, mediocrem forsan, sed propriam et mansuram, sed de qua nullius unquam ætatis homines vel disputare, queant vel dubitare. In illo enim artes et virtutes miramur quas ipsi, longo quamvis intervallo, persequi volumus et possumus, quas dum suspicimus, ut ait Seneca, agnoscimus tamen, quæ denique nostram vel vitæ vel ingenii mediocritatem non conterrent. Quamvis enim multi, procul dubio, inter ipsius æquales, M. Tullium factis, fortuna, ingenio etiam superaverint, nullus tamen illius in patriam, illius in genus humanum superavit amorem, nemo, tanta constantia, usque ad mortem, in labore, in officio, in virtute perseveravit. Quæ gloria, mea quidem sententia, si non maxima est, attamen boni viri votis dignissima semper videbitur.

De vita M. Tullii satis superque dictum. Opus enim a principio sumus aggressi, cujus historia sibi minimam vindicaret partem,

philosophia maximam, nec quid egerit M. Tullius ut veram obtineret gloriam, sed quid de gloria senserit, conati sumus exponere. Cujus opiniones judicare, et alias laudare, alias refellere jure nobis concederetur, si integrum ipsius librum legere et meditari potuissemus. Quasdam vero passim selectas, et nostro, non Ciceronis, ordine dispositas sententias expendere, aliquando etiam coarguere, id prudentiæ parum, justitiæ certe nihil haberet.

Non igitur quæremus cur, in uberrima quæstione, M. Tullius multa omiserit omnino, plura vix attigerit. Scilicet ille, verbi causa, duobus in libris quos integros desideramus, copiose de ea gloria dixerat quam sibi carminibus vates, præceptis et institutis philosophi in æternum comparant, quam denique summi artifices, Phidias, Polycletes, ut de aliis taceam, quamvis in viliori elaborarent materia, magnam tamen consecuti sunt et perpetuam. Potuit quoque M. Tullius (cur de eo aliter sperare debeam, præsertim in re dubia, ego quidem non vi-

deo), potuit, inquam, dum posteros, quæ sit vera gloria edoceret, eam animi oculis cernere, eam verbis exprimere gloriæ formam, quæ non modo Romanis, non modo summis vel ducibus vel oratoribus, sed quæ in omni tempore, in omni gente, qualibet in re vel arte præstantibus viris pariter accommodaretur.

Delicta igitur quæ nunquam forte fuerunt, vel leves culpas, et alia hujusce modi sævis judicibus relinquentes, fateri malumus M. Tullium quæcumque tanta hominum admiratione dixerit, ea optimi ingenii beneficio dixisse, quæ vero vel omiserit, vel nescierit, eadem ætatis qua vivebat culpa, ignoravisse.

Facile quidem nobis est, tam splendido tot sæculorum, christianaeque disciplinæ jubare mentibus nostris prælucente, ea apud veteres reprehendere, ea desiderare in illis, quæ in hac humani generis quasi juventute, et in subobscura omnium artium et disciplinarum luce nullo modo cognoscere poterant. Itaque non decet, non licet a M. Tullio de

gloria ante Christum dicente, amplissimam et omni numero absolutam de gloria expetere doctrinam, quæ contra in hujusce temporis hominibus, quæ in christiano philosopho debet inveniri.

Ego quidem non possum quotidie non admirari quantum hæc Dei et divinæ naturæ clara, perfecta, et, ut ita dicam, divina apud christianos scientia, omnes alias fere scientias suo perfuderit lumine, omnibus firma principia, omnibus certum ordinem, certam disserendi rationem ostenderit. Ea præsertim de gloria quæstio nequaquam apud nos ita tractari posset, ut a veteribus, nec semel, si M. Tullio credimus, tractata est. Illi enim ad hominem primo, ad hominem attendebant unice, et quam firmis, quam necessariis vinculis res humanæ rebus divinis connecterentur minime vel parum animadvertebant. Unde fit ut ipsa apud eos rerum humanarum scientia, quamvis multis in locis et magna ex parte fuerit peracta, firmo tamen fundamento sæpe careat, quum usque ad principia et ultimos veri fontes ascendere

sæpius aut non ausi sint, aut non valuerint. Ego enim, in omni quæstione, non intelligo quid nos docere possis veri et absoluti, si nihil dicas de Deo, quum in nostra natura quidquid boni, quidquid magni habemus, illud a divina natura exprompsimus, et dono accepimus.

Non mihi tamen venit in mentem opus aggredi, cui vires meæ, etiamsi multo forent majores, certe impares essent, et latine dicere quæ vel patrio sermone, sicuti ea sentio, exprimere non possem. Mihi tantum modo in animo fuit ostendere quam late pateat hæc de gloria quæstio, quantum ad res pertineat diversissimas, si tandem in ea Deo locum quem occupare debet restituamus, ita ut ab illo vera hominum gloria unice pendere, et in eo legem, exemplar, præmium etiam invenire videatur. Nos igitur jam exinde non res singulas, non quæstionem de gloria totam, sed principia modo, et ordinem disserendi, nudo sermone, nullo verborum cultu, tentabimus exponere.

« De Gloria dicimus eam ante omnia in

Deo considerandam esse, deinde in rebus, postremo in homine.

» Hæc est mentis humanæ infirmitas ut in Deo cognoscendo dividere et separare cogatur quæ in illo connectuntur necessarie, quæ, ut verius dicam, unum et idem sunt. Quum enim de Deo dicimus immensum illum esse, æternum esse, infinitum esse, verba tantum diversa sonant, rem vero unam et eamdem declarant. Esse enim absolute et simpliciter in se continet quidquid ei adjicere conamur. Dei sunt igitur quæcumque esse possunt, et extra eum nihil est, nisi ipsius voluntate factum Itaque si quid apud homines invenitur, quod isti gloriam dicunt, id a Deo manat, id a Deo venit, et quædam immensæ lucis scintillula est. Quum vero apud Deum Esse omnia in se contineat, sequitur gloriam Dei nihil aliud esse quam ipsum Deum, quam ipsam divinam naturam, cujus æternum et clarissimum splendorem nemo unquam vidit, nisi Deus totam uti est. Nos imaginem modo et tenuem umbram raptim et furtim aspicere possumus interdum. De

qua melius est tacere quam humilia et inania verba effutire.

» De rebus nunc dicendum eas a Deo accepisse quidquid habent, quidquid valent, substantiam qua esse, formam qua figurari, motum quo moveri, lucem etiam qua possint aspici. Itaque quum nec Deus sint, nec Dei partes, sed tantum Dei opera, Deum tamen manifestum præstant, Dei splendorem splendore suo declarant, Dei majestatem sua majestate patefaciunt. Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.

» Sed non modo sol et stellæ suis certis motibus, suis etiam concentibus, ut Pythagoras et alii putaverunt, nonnihil ad Dei gloriam conferunt, non modo cœlum et immensa spatia Altissimi laudes perpetuo celebrant, sed ipsa animalia, et quæcumque super terram florent, vigent, crescunt, parturiunt, tota demum natura ordine miro, motu continuo, ordinis et motus auctorem, vita etiam quotidie renascente, æternam Dei vitam usquequaque prædicat et extollit.

» Quum ipsa per se, volente quidem Deo, niteat materia, et in minimis velut in maximis rebus, summi opificis rationi, potentiæ, libertati amplissimum testimonium præbeat, quid nos dicemus de materia, quam nudam et informem homo quum invenerit, mente, manu format et fingit, ita ut pulcherrima tot artium miracula statim eluceant, quæ Deum magis ac magis omnibus notum faciunt et admirandum. Quem enim potiorem usum musica, pictura, poesis, ut ceteras omittam artes, habere possunt nisi ut Deum et Dei opera concelebrent, nisi ut homines ad Deum imitandum omni ratione, variis etiam invitent illecebris? Tum ipsa marmora, tum ipsi lapides ad cœlum quasi sponte sua erigi videntur. Tum res ad rerum auctorem et moderatorem prædicandum, quamdam mente hominis quasi depromptam mentem accipiunt. De quo restat nunc ut dicamus quid ad gloriam Dei conferat, qualem ipse gloriam optare debeat et persequi.

» Quæcumque Dei sunt, ab illo sicut vitæ ita gloriæ quoddam initium ceperunt ab or–

tu suo. Ut enim in Deo perfecta substantia et perfecta gloria unum et idem sunt, ita Dei opera quem vitæ gradum eumdem gloriæ obtinent. Unde sequitur ut homo quum non modo materiem, formam, motum, sed etiam divinæ mentis particulam nascendo acceperit, ita firmius gloriæ in se possideat incrementum, quam perfectam facere, vel imperfectam relinquere, vel etiam corrumpere et fere omnino potest amittere. Ut enim ratione ita libertate summa fruitur.

» Nos igitur primum de perfecta in homine gloria, deinde de imperfecta vel media, tum demum de falsa gloria ordine dicemus.

» Veram et perfectam gloriam ii soli assequuntur qui nihil aliud in omni vita cogitant, amant, agunt, nisi quod ipse Deus optime, ut optimam naturam decet, cogitat, amat, agit. Verum enim cogitant, virtutem amant, bonum operantur. Ita fit ut Dei naturam, quamtum in homine est, magis ac magis imitantes, Dei gloriam, si ita loqui licet, magis ac magis induant. Necesse est enim ut cujus opera operantur, ut cujus vita

vivunt, hujus etiam splendore splendeant.

» Scio quosdam stultos et imperitos de hac vere sapientium, vere sanctorum gloria dubitare an sit aliquid. Gloriam enim isti cupiunt, quæ mortales perstringat oculos, et sensus hebetet, non quæ animam immortalem impleat magnitudine, dulcedine juvet. Hominem enim in homine solum respiciunt, quum Deus in omnibus sit, et sine illo nihil magnum, nihil conspicium esse possit. Quorum error mihi quidem videtur insanabilis : oculos enim habent, et non vident, aures et non audiunt; Dei imaginem, Dei gloriam intra se ferunt et non agnoscunt.

» Tunc demum dicendum esset quam viam ingredi, quibus præceptis muniri debeant qui perfectam gloriam conantur possidere. Pauci enim sunt qui in tanto et tam arduo labore duraverunt et quos

..... *ardens evexit ad æthera virtus.*

» Gloria imperfecta dicitur quæ imperfecta nititur virtute, quæ summæ Dei gloriæ pa-

rum respondet. Eadem media dici potest, quia summo de gradu quasi dejecta, inferiorem occupat locum, ubi si non plenam, quamdam tamen adhuc lucem emittit. Hanc etiam humanam dicunt, quod ab hominibus pendet, ab hominibus datur et eripitur, quod fere tota versatur inter homines.

» Non modo reges, imperatores, duces, sed etiam oratores, poetæ, rerum scriptores, eruditi viri, summi artifices, omnes suo jure, variis artibus, dispari etiam mensura, mediam gloriam debent accipere. De quibus erit ordine disserendum.

» Quum vera sapientia ad Deum modo spectet, et nulla fere humana egeat ope, ut optatum præmium, id est, Deum, tandem possideat, ea contra de qua nunc loquimur, media et imperfecta gloria, fortunæ, casibus, temporibus subjicitur, sed ante omnia hominum judiciis qui eam cuique, ut meruit, ut placuit, avara vel liberali largiuntur manu.

» Uberrima est de media gloria quæstio. In hoc enim genere, etsi non optimum est, liberali tamen et honesto, diversissimæ species

continentur, quarum unaquæque suam habet naturam, suis eget præceptis, quum vitia quædam propria declinanda sint. Difficile alterum studium inveneris cui majora vel bona vel mala humanum debeat genus. Cupido enim gloriæ artibus, scientiis, virtutibus etiam si non ortum at certe dedit incrementum; eadem factiones, discordias, cædes, bella peperit. Nam libido dominandi et imperandi, si nullam in se gloriæ, vel saltem famæ cujusdam contineat votum, et sapientia careat omnino, mera mihi dementia, aliquando etiam rabies esse videtur.

» Postremo perfecta gloria et media inter se conferenda sunt, quum multa habeant communia, et firmo virtutis vinculo conjungantur. Virtute enim semota, nulla nisi falsa gloria potest existere. Multi igitur sunt mediæ gloriæ gradus quorum ultimus ad perfectam gloriam propius accedit. Quo majori virtute nititur qui magna, difficilia, et humano generi utilia perficit, eo veriorem et ampliorem consequitur famam, eo majorem in se divinæ ut naturæ, ita gloriæ imaginem adumbrat.

Multi etiam perfectam una et mediam, non quamlibet, sed maximam gloriam sunt adepti, quorum gloria quum à Deo esset, inter homines tamen enituit. Francorum rex, Ludovicus nonus, exempli instar sit.

» Falsa gloria est quæ nulla virtute, nulla nititur sapientia, quæ gloriæ Dei minime respondet, vel, ut vera dicam, adversatur.

» Falsam gloriam prosequitur qui nihil æqui et sancti habet, qui pessima consilia, facinora non dubitat moliri, dummodo laudibus, honoribus, præconiis in se fruatur congestis. Invidet enim bonorum gloriæ qui malis artibus malam cupit gloriam, et eam, si posset, libenter exstingueret.

» Qui tamen aperte itæ se gerunt, et vitia sua non occultant, minus metuendi, minus etiam detestandi mihi videntur. Hos vero nescio quibus maledictis prosequar falsæ gloriæ diros amatores qui specie tantum virtutis freti, et nihil nisi injustum optantes et nefandum, jus et æquum semper in ore habent, et de suis utilitatibus tantum modo cogitantes, civitatis custodum et defensorum personam sibi assumunt.

» Varias falsæ gloriæ formas exponere, varias excusationes debebit confutare qui de gloria non raptim, non summatim tractare cupiet. Homines etiam hortabitur, signa ea docendo, quibus falsa gloria agnoscitur facillime, ut nec ipsi eam prosequantur, nec aliis faveant eam prosequentibus. Sinè enim assentatorum blanditiis et falsis laudibus ipsa falsa gloria aut non esset, aut diu stare non posset.

» Qui igitur falsam gloriam fovent, adjuvant, ii non modo iniquos adjuvant, sed Dei gloriæ, Dei naturæ adversantur, et veram, pro virili parte, rerum naturam, æternum mundi ordinem conturbant. Arroganter enim faciunt qui sibi quæ Dei sunt attribuunt, qui gloriam sine justitia sectantur, et sua quasi luce cupiunt nitire, quum nulla nisi a Deo vita, nulla nisi a Deo lux oriatur, qua bonos tantum et justos viros, id est sui similes, perfundit. »

Hæc sunt, si non fallor, vera et mera de gloria principia quæ vir sapiens, non sine magno Marci Tullii auxilio, exponere et adornare posset.

VI.

CONCLUSIO.

Marcum Tullium ea de vera gloria dicentem audivimus quæ ab optimi ingenii ubertate hauserat, quæ ab optima philosophia didicerat.

Ille nos ante omnia docuit nullam sine justitia, sine officio, gloriam esse posse.

Nos autem adjecimus nullam nisi a Deo.

Marcus Tullius enim Socratem tantum et Socraticos sectari potuit; nobis vero contigit ipsum audire Christum.

Opus perlegi et ad Doctoris promovendi disceptationem comprobavi.

Nanceiis, Lotharingorum, kal. febr. anno MDCCCLXVI.

Facultatis Litterarum in Nanceinsi Academia Decanus,

C. BENOIT.

Typis mandetur,

Nanceinsis Academiæ Rector.

J.-J. GUILLEMIN.

TABLE.